

que : uidi nocturnis militum uigiliis inhaerere pilis pro uallo fulgorem effigie ea ; et antemnis nauigantium aliisque nauium partibus ceu uocali quodam sono insistunt, ut uolucres sedem ex sede mutant, graues, cum solitariae uenere, mergentesque nauigia et, si in carinae ima deciderint, exurentes, geminae autem salutare et prosperi cursus nuntiae, quarum aduentu fugari diram illam ac minacem appellatamque Helenam ferunt et ob id Polluci ac Castori id numen adsignant eosque in mari inuocant. Hominum quoque capita uespertinis magno praesagio circumfulgent. Omnia incerta ratione et in naturae maiestate abdita.

XXXVIII. (38) Hactenus de mundo ipso sideribusque : nunc reliqua caeli memorabilia ; namque et hoc caelum appellauere maiores quod alio nomine aëra, omne quod inani simile uitalem hunc spiritum fundit. Infra lunam haec sedes multoque inferior, ut animaduerto propemodum constare, infinitum ex superiore natura aëris, infinitum terreni halitus miscens utraque sorte confunditur ; hinc nubila, tonitrua et alia fulmina, hinc grandines, pruinae, imbres, procellae, turbines, hinc plurima mortalium mala et rerum naturae pugna secum. Terrena in caelum tendentia deprimit siderum uis eademque quae sponte non subeant ad se trahit. Decidunt imbres, nebulae subeunt, siccantur amnes, ruunt grandines ; torrent

102

103